



**Judas Der Ertz-Schelm/ Für Ehrliche Leuth/ Oder
Eigentlicher Entwurff/ und Lebens-Beschreibung deß
Jscariothischen Bößwichts**

Worinnen unterschiedliche Discurs, sittliche Lehrs-Puncten/ Gedicht/ und
Geschicht/ auch sehr reicher Vorrath Biblischer Concepten; Welche nit
allein einem Prediger auff der Cantzel sehr dienlich fallen/ der jetzigen
verkehrten/ bethörten/ versehrten Welt die Warheit under die Nasen zu
reiben: ...

Abraham <a Sancta Clara>

Bonn, 1690

Index Concionatorius Super Dominicas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59536](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59536)

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
I. I. I.

[o]s

INDEX CONCIONATORIUS SUPER DOMINICAS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

A *Rescensibus hominibus pra timore, Luc. 21.* Differe de mala conscientia cui omnis motus metus est, & plerumque laesa conscientia parit omni momento lepores, rarissime autem lepores. Vide de hac materia fol. 286. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper infidias suspicatur. Job. 15. v. 20.

Inter omnes tribulationes humanae animae, nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. S. P. Aug. in psalm. 41.

Itud habet damni vitium inter caetera, quod mens

Palpitat assidue flagitiosa metu.

Semper enim vel si non deprindatur, in ipso

Sese deprindendi posse putat scelere.

Deque suo, alterius quoties de crimine sermo est,

Cogitat, & credit, se magis esse reum.

Inque dies timor hinc crescit, de moribus ergo

Cura sit intrepidus nos bona cura facit.

Epigram. Pictor.

Etn ubets Gewissen / etn sauerer Bissen.

DOMINICA II. ADVENTUS.

B *Eatus qui non fuerit scandalizatus in me, Matth. 11.* Agi potest hic de scandalis, quae incautos mortales non scandere, sed descendere docent. Damnosus sane sunt Magnates, qui non ferrum, sed Ferdinandum trahunt ad interitum. Hac de re legi potest fol. 46.

Vae homini per quem scandalum venit. Matth. 8.

Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit, S. P. August. lib. de Past.

Si damno/a senem juvat alea, ludit & haeres

Bullatus, parvoque eadem movet arma fitillo;

Horat. lib. 1. sat. 1.

Index Concionatorius.

Nach/ Wer ist des Teuffels sein Leib. Gutscher? Antwort/ der andere durch
Zergerius verführen thut.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Ioan. 1.
Non solum iurtum corda habeamus ad Dominum, sed etiam deorsum, nos
humiliando, quia cum planctu de profundis transibimus ad gloriam in excelsis.

Accommodè tractari potest isto in loco de humilitate. De qua legendum fol. 263.
Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, hu-
milibus autem dat gratiam, 1. Pet. 5. v. 5.

Excelsa est patria, humilis est via: ergò qui querit Patriam, quid recusat viam.
S. P. August. sup. Joan.

Concutitur tantum ventis, quia cedit arundo,

Arbor at inflexo poplite fracta cadit.

Vos etiam factu elatos feret exitus idem,

At humiles animos gratia multa manet.

In der Arithmetica oder Rechenkunst Christi ist das Nulla die beste Zahl / der
nichts von sich halt.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Procurante Pontio Pilato Indeam. Luc. 13. Dic ergò, sicut potens est Numen
sulcitare ex lapidibus Filios Abrahamæ, ita potens est Numus sulcitare ex lap-
pen filios honoris, pecunia enim mercatur honores, & procurat dignitates, prout
Pontius Pilatus factitabat. Hac de re plura fol. 83. & 229.

Multos perdidit argentum & aurum. Eccl. 8. v. 4.

Qui pecuniam habet, omnia habet, quæ illi necessaria sunt, quia eâ datâ,
omnia emere potest. Joan. Ofor. Dom. 5. post Pasch.

Aurea nunc verè sunt sæcula, plurimus auro

Venit honos; auro conciliatur amor.

Auro pulla fides, auro venalia jura,

Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor,

Propert. lib. 3.

Gettm Beutl/ist für alle Wunden ein Kräutl.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Vixerat cum Viro suo annis septem à virginitate sua. Luc. 2. Nil ita placet
Divino Sponso, candido & rubicundo sicut Candor Virginitatis, hinc
non miretur Magdalena, quòd hicce Magister post Resurrectione pedis osculum
ei denegarit, cum talis hortulanus præ cæteris lilia amet, qui vult capere, capiat
exiis, quæ habentur. Pag. 84.

Virginitas enim thesaurus impretriabilis est. Genes. 24.

gg 3

Rea-

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
1611
TIT

Index Concionatorius.

Beatius est in carne vitam imitari Angelorum, quam ex carne augere numerum mortalium, hæc est uberior, fecundiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere, &c. S. P. Aug. de bon. Virg. Ep. 128.

Ut flos in sepris secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ,
Idem cum tenui carpsus destituit ungue,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ,
Sic Virgo dum intacta manet, tum cara suis: sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec mundo jucunda manet, minus illa Deoque,

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Invenimus illum in templo sedentem in medio Doctorum. Luc. 2. Doctus, docta, doctum? doctus homo, docta mens, doctum ingenium, plerumque solent superbite: hinc bos & asinus propinquiore fuere Christo ad præsepe, quam Excellentissimi & Clarissimi; quare apud Deum humilia respicientem, quandòque solennius habetur festum simplex, quam scientia sub ritu primæ classis, Hac de re plura fol. 252.

Scientia inflat, charitas autem ædificat. r. ad Catini. cap. 8.
Sunt, qui scire volunt, eo sine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est; & sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est, & sunt, qui scire volunt, ut scientur ipsi, & turpis vanitas est. S. Bernard. super Cant. serm. 36.

Scit legem, doctè que tenet iussa Omnipotentis,
Quid quod novit agens, diligit id quod agit.
Non satis est Domini præceptum volvere lingua,
Bis meminit legis, qui memor est operis.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptia facta sunt in Cana Galilee. Ioan. 5. Rara & chara sunt antiquaria præter vetulas, multi tamen amant scoriæ propter aurum, & sunt Cicero-nes, ut Senecam acquirant, sed hoc non est ducere, sed seducere uxorem. Fufius hac de materia fol. 96.

Nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet, Eccles. 10. v. 10.

Filii Adam Genus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ nec vestræ; aurum & argentum verè terra est tubra & alba, quam solus erret hominum facit, aut magis reputat pretiosam, denique si vera sunt, tollite ea vobiscum. S. Bernard lib. de Consider. serm. 4.

Et genus, & formam Regina pecunia donat.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Veniens adorabat eum. *Matth. 8.* Amara docet amare Deum, & aduersa fo-
lent convertere eum; vix enim, qui querelis caret, charissimum Numen
Pater, Nam ut plurimum mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ita compel-
lunt, adeoque Præco Evangelicus hic differere potest, quod tribulationes ducant
ad Deum. Prout videre est fol. 416.

Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea aberraverunt. *Psalm. 15.*

Si qua necessitas gravius homines presserit, tunc Dei recordantur; si belli
terror infremuerit, si morbum pestifera vis incubuerit, si alimenta longa sicci-
tas frugibus denegaverit, si sava tempestas, si grando ingruerit, ad Deum con-
fugium, à Deo petitur auxilium, Deus ut subveniat, oratur. *Lactant. lib. 2. Di-
vin. Instit. c. 7.*

O bone terrigenam Custos, tutelaque mundi

Publica, suspendit tot cui vota salutis;

En tua se media clementia monstrat in ira;

Quaque manu gladios hæc quoque tendis opem.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ipse verò dormiebat *Matth. 8.* Bona conscientia inter aspera semper est prof-
pera, & cum vermis non rodatur, ipsa formè semper ridet, malè igitur asserunt,
quod *verbum lator sit deponens* apud conscientiam bonam, quod abundè liquet.
Ex fol. 302.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. *Ecccl. 13. v. 30.*

Arborem, quam florere vides, quam summa conspicias viriditate lætari, subter-
raneo succo fecunditatis animatur, reddens in superficie, quod continetur in
radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decetatur, si visceribus sanis
gravamen nullius sentiat læsionis. *Cassio, lib. 2. Epistol.*

Conscia mens recti famæ mendacia ridet;

Si rectè facies, hic mirus aheneus esto,

Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpa,

Horat. ad Mæcen.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Inimicus homo hoc fecit. *Matth. 13.* Stygius veterator multa mala contra
hominem molitur, & si idem apud eum foret capere, quam cupere, esse-
mus omnes perditii, ea propter magis hic *nequaquam* per syncope debet vo-
cari lucifer, non lucifus. Extat hac de re copiosa materia à fol. 148. usque 173.

Sobrii estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo ru-
giens circuit, querens quem devoret, &c. *Petr. Stap. 1. c. 5.*

Quid pravus? quid malignus? quidve nostro aduersario nequius?
qui posuit in Cælo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, &
in omni

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
TIT

Index Concinatorius.

In omni nostro opere zizania seminavit. S. P. August. In serm. comm. serm. 4.
Dic mihi cur tantis odiis nos perfidus hostis
Exagitat, bellis tam gravibusque petit?
Causam odii, tantique cupis cognoscere belli?
Hoc odii, summi Numinis ipse facit.
Exitium in nostri generis ruit impete cæco.
Quod nequeat supero bella movere Patri.
Ut si quis Regem nequeat cum lædere, Regis
Arreptam statuam dente manuque petat.

Jacob. Bid.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Simile est Regnum Cælorum grano sinapis, quod minimum est omnibus semini-
bus. & fit arbor. Matth. 13. Multi inflantur, dum ex humido loco in altum
elevantur, & crescunt in arborem, aut horum potius diurna, quam diuturna est
gloria, cum ut plurimum tam felix exordium tristi claudatur Epilogo; verè
tam bona dies malo vespere non carebit. De his superb. vide fol. 235.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur. Matth. 23.

Videte fumum superbiæ similem, ascendentem, fumescentem, vanescentem;
merito ergo deficientem, non utique permanentem. S. P. August.
supra Palm. 101.

Aëream propter crevisse cucurbita pinum

Dicitur, & grandi luxuriasse coma.

Cum ramos complexa, ipsumque egressa cacumen,

Se præstare aliis, credidit arboribus.

Cui pinus: nimium brevis est hæc gloria, nam te

Protinus adveniet, quæ malè perdat hyems.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Portavimus pondus diei & æstus. Matth. 20. Hoc de se possunt dicere om-
nes avari & divitiis inhiantes, qui perpetuis agitantur curis, & continuis
sudant in laboribus, sed in casum fatigantur pro cassâ, & omnes sunt in lenitatis
ac fatui, quia patiuntur mala, ut potiantur non bonis, & revera plura sustinent
pro fuco & foco, quam pro cælesti loco. De avar. vid. fol. 189.

Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non caplet
ex eis. Eccl. 4.

Divitiarum amor in fatiabilis longè amplius torquet animam, quam refrigerat
usu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena
doloris invenitur. S. Bernard. in Quod, serm.

Heu miser in mediis sitiens sicut Tantalus undis,

Et poma esuriens proxima habere nequit.

Nomine mutato id de te dicitur avare,
Qui quasi non habeas, non frueris quod habes.

Alciat. Em. 85.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Qui habet aures audiendi audiat. *Luc. 8.* Immisericordes non habent aures audiendi, nec dividunt sua, cum tamen dives à dividendo nomen trahat, certè non gratis eadem die coluntur ab Ecclesia Largus & Smaragdus, gloriosus enim seu smaragdus non erit, nisi largus præcesserit; sed hæc veritas multis canitur surdis, & Lazarus usque nunc jacet præ foribus cupiens saturari, & reme ei dat. Tenacitas in largiendo. Vid. fol. 37.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. *Matth. 25. v. 41.*

Non minoris est criminis habenti tollere, quam cum possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu desinas, nudorum indumentum, quod tu includis. *S. Ambros. in Quod. serm.*

Magnum peccatum est amor immoderatus habendi,

Et plus quam vitæ sufficiat cupiens.

Nam quod nos vestit, quod pascit, cura salutis,

Si vanis sit mens libera, non onerat.

Si quæ ergo superant, quorum non indiget usus,

Debilibus profunt, atque juvent inopes.

Quisquis enim cupidè non expendenda recondit,

Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas. *Luc. 12.* Alia fuere Prophetarum, quam Astrologorum vaticinia, quibus verissimè convenit nomen illud, quod veridicus & purpuratus Pater habuit. Cardinalis de Lugo; nam similes astrorum Visitatores Generales, non nisi mendacis demerant homines, & quantum Astronomi metiuntur, tantum Astrologi mentiantur: dum humanum arbitrium ex libero Barone in abjectissimum mancipium commutare satagunt, & eandem Astris, sicut Castris violentiam seu potestatem tribuunt. Vid. fol. 273.

Hæc dicit Dominus, juxta vias gentium nolite discere, & à signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, *Jerem. cap. 10. vers. 2.*

Partes Idololatriæ sunt, veneficia, præcantiones, suballigaturæ, vanitates, auguria, sortes, observatio omnium, parentalia, &c. *P. Gaudent. Tract. 4. in Exod.*

Icare per superos, qui raptus & æra, donec

In mare præcipitem cera liquata daret.

Par. II.

H h h

Nunc

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
Iacob & Ioseph
TIT

Index Concionatorius.

Nunc de cera eadem, fervensque resuscitat ignis,
Exemplo ut doceas dogmata certa tuo.
Astrologus caveat quidquam prædicere; præceps
Nam cadet impostor, dum super astra volat.
Alci, Em, 1011.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam Civitatem. *Matth. 4.* A pius locus hic est differendi de potestate Dæmonis, ejusque minis & clandestinis insidiis, quas mille modis & motibus homini struere non cessat, sed rideri pariter possunt latrantis hujus cetberi vana tertriculamenta, cum tam facili ritu grandis hæc bestia in fugam vertatur, & quando similes parturiunt montes, non nisi ridiculus nascitur mus, id est, *Matthiæpoff, Vid. fol. 165.*

Induite vos armaturam fidei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, &c. *Paul. ad Ephel. cap. 6.*

Satanæ semper voluntas iniqua est, sed nunquam potestas injusta, quia à se-metipso voluntatem habet, sed potestatem à Deo, quod enim iniquè ipse facere appetit, hoc Deus non nisi justè facere permittit; injustè igitur formidati non debet, qui nil nisi permissus valet. *S. Greg. 2. Moral.*

Eva Parens quoniam tua mens abscesserat, angui

Autes pestifero cum patuère tua?

Quis furor? ut vetitâ legeres ex arbore pomum,

Quod generi invexit tam mala muka tuo?

Vos Evæ soboles, vos Evæ audite nepotes.

Quæ fuit & nobis & mihi causa necis.

Angui aditus omnes præcludite; namque Parenti

Abfuit huic facilem quodd dedit ille fidem.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Resplenduit facies ejus sicut Sol. *Matth. 17.* O quot femine sunt, quæ nimîâ formæ & vultû. Culturâ gloriari solent, cum tamen non sint, nisi sepulchra dealbara & saccharo vestita stercore; eapropter vos boni Grammatici deberetis ponere scimitram inter genas neutrum. *Vid. fol. 246.*

Fallax gratia, & vana est pulchritudo: Mulier timens Deum ipsa laudabitur. *Proverb. 31.*

Pulchritudo, quæ in Coloris elegantia, & apta membrorum compositione animo fingitur, temporis & morbi ludibrium est. *S. Greg. Nazî, serm. 30.*

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,

Fit minor & spacio carpitur ipsa suo.

Non semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ.
Et tibi jam venient cani formose capilli,
Jam veniunt rugæ, quæ tibi corpus arent,
Oecid. Artict. 2.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ

ET erat Iesus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.6. Ejiciens dum Dæmonium & copanda prius domus est, antequam Christus sub speciebus Sacramentalibus iniret; quia inter arcam & Dagon habetur separatio thori; aliàs homo per hunc sacratissimum cibum non crevit, nec pinguescit, sed marcescit, & consequenter datur in hac divina cæna em schlecht gesung G.Dt. Vid. fol. 332, & 402.

Non potestis Mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum, 1. Corinth. 10.

Cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris cum fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo penitentiae abstergat à mentis stomacho pervertæ humorem vitæ, S. Greg. Hom. 22. in Evang.

Splendida regali Aterus convivialuxu

Dum struit hinc hortus cernitur, inde nemus.

Sunt flores hortu, nemori sunt horrida monstra,

Hoc gignit spinas, & patit ille rosas.

Dum parat Angelicas Regum Rex dona, dapesque

Collocat æthereos inter utrumque cibos.

Est nemus, est hortus: bonus est hinc inde malusque

Colligit hic spinas, colligit ille rosas.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ioan. 6. Nugates & que ac fugaces sunt omnes mundi honores, pleni sudoribus, & laboribus, hinc puro à cura curia nomen habet, plerumque etiam raucedinem contrahit, qui repudiato basso alium canere præsumit; & sicut altissimi montes in æstate etiam nivibus cooperti cernuntur, ita in altis positi sublellis ante tempus canescunt, nihilominus Israelitarum more has Egyptiacas ceppas tot ex oculis lacrimas eientes tam accidè appetimus. Vid. fol. 256.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Galat. 3.

Ambitio est quædam simia charitatis, charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis, charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus, charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo. Pet. Raven, in serm.

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
Iacobus & Iosephus
IIT

Index Concionatorius.

Trudis avaritiam, cujus fedissima nutrit
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, & pretiis commetia polcit honorum
Pulsa simul - - -

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

DOMINICA PASSIONIS.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, JESUS autem abscondit se, & exiit de templo. Ioan. 8. In templo sanguinarium hoc facinus commiserunt hebraei, habentque hodie imitatores omnes illos, quotquot non uno duntaxat delicti genere in templis, & sub ipsa setiam sacris Mysteriis peccant, hinc non raro lapis de pariete templi clamat vindictam contra hos profanatores, Uti videre est fol. 384.

Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est Nomen meum in oculis vestris. Jerem. 7.

Quid facis homo? Mulierum speciem curiosius in Ecclesia persequeris; nec horrefcis tantâ templum Dei afficiens contumelâ. Prostibulum tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior. S. Joan. Chryf. hom. 74. in Matth.

Torrída sacrilegum testantur lumina Brennum,

Dum petit intonsi Pythia Regna Dei.

Aut mons laurigero concussus vertice duras

Gallica Parnassi sparsit in arma nives.

DOMINICA PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, venit tibi tanquam Rex mansuetus in sacra Communione, tremendum sanè Mysterium, quod contineatur ille in tam exiguo orbiculo, qui orbem condidit; nec potes homo conqueri, quòd non candidè tecum Deus agat, dum candidum & divinum hunc bolum deglutis, certè non est altitudo tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus adest nobis, Vid. fol. 336.

Hic est panis de Cælo descendens; si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ioan. 6. v. 10.

Sic Christophori erimus, id est, Christum ferentes, cum ejus Corpus & Sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut beatus Petrus dicit, divinæ Naturæ consortes efficiamur. S. Cyrillus Cath. 4.

Qui sola terrarum, qui Numine replet Olympum,

Clauditur orbiculo, qui modo panis erat.

Non timet angusto Majestas limite claudi.

Non Domino locus est, sed locus est Domino.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Noli me tangere. *Marc. 16.* Ingens sanè ac stupenda dignitas sacerdotis, cuius venerabiles manus quotidie Christum tangunt, præsertim hoc Paschali tempore, quo tot animæ divino Epulo, & sacratissima Esca cibantur ac saginantur à Sacerdote; discite igitur mortales iustitiam moniti, & non temnere Divos. Vid. fol. 313.

Qui benè præsent Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. *S. P. 1. Tim. 5. v. 17.*

Sacerdos est miraculum stupendum, potestas ineffabilis, Cælum attingit, cum Angelis versatur, cum Deo familiariter agit. *S. Ephr. ser. 1. de Sac.*

Vaticinor, moneo que locum dare sacra ferenti,

Non mihi sed magno poseitur ille Deo.

Talia caelestes fieri præconia gaudent,

Ut sua, quid valeant Nomina, teste probent.

Ovid. 1. Pont. 1.

DOMINICA I. POST PASCHA.

Ut credentes vitam habeant in Nomine eius. *Ioan. 20.* Habeat suum sibi favum mellis Samson, quæ in ore leonis invenit, longè dulcius est nobis sanctissimum Nomen JESUS; malè sapuit Protoplasto pomi eius, nobis autem suavissimum reàditur Nomen JESUS, in quo Nominativo nullum sinistrum casum pertimescimus. Vid. fol. 130.

Deus exaltavit illum, & dedit illi Nomen, quod est super omne Nomen. *Philipp. 1.*

Pro muto munitissimo atque tutissimo est mihi Nomen Domini mei & Salvatoris JESU Christi. *S. Ephrem.*

Jure pari regnat Communis Conditor ævi,

Et cum Patre pià regnat sublimis in arcE

Sidereo sanctis infidit Numine RegniS

Uude mare & terras solo videt omnia nutU,

Suggerit humanis & donat munera RebuS.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me mea. *Ioan. 10.* Oves suas dignoscit Divinus Pastor ex voce, quando nimirum balantium more ad ipsum clamamus, miserere mei, mei, memento mei; O Deus meus, æque potens ac patens est oratio, quæ non dissimilis esse videtur Columbæ Noëticæ, quæ secundâ die ex arca dimissa cum ramo olivæ rediit; sic rarè preces ex ore dimissæ sine pretio revertuntur. Vid. fol. 642.

Oratio humilantis se penetrabit nubes, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat. *Eccl. 35.*

Hhh 3

Oratio

Manet in

ABRAHAM
als Clara
Iudas
Iacob & Iheros
IIT

Index Concionatorius.

Oratio iusti clavis est Cœli, ascendit precatio, & descendit Deum miseratio; licet alta sit terra, altum Cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si tandem habeat conscientiam. S. P. August. serm. 226.

Inter mundanæ mala Confluctantia Vitæ,
Sæpe quidem Domini corripitur populus,
Qui tempestatum varia sub clade laborant,
Noscant se iusti ferre flagella Dei.

Atque ipsum toto gemitu, planctuque precetur,
Ut qua scit miseris auxilietur ope.

Non etenim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec veto leges ipse dabit medico.

Jacob. Bill. anth.

DOMINICA III. POST PASCHA.

*C*um autem peperit puerum, jam non meminerit pressuræ propter gaudium. Ioan. 16. Quarundam Matrum, quin & Patrum quoque gaudium hoc diuturnius non est, quam quoad liberi eorum adoleverint, tunc etenim parentes mærore tabescunt, quando vident, quod liberi tam liberi Patri Libero id est Baltho cæterisque affeculis additi: aut ex nullo alio fonte provenit hæc turbida scarturigo, quam ex vestris scandalis o Parentes. Vid. fol. 54.

Nec ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Ad Roman. 15. v. 19.

Non tibi videtur graviolem ab eo Christus sustinere persecutionem, qui exemplo pernicioso, scandali occasione pervertit animas, quas redemit, quam à Judæo, qui sanguinem suum fudit. S. Chrylost. hom. 38. ad popul.

Nil dictu sædum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ,
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras; nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsista: tibi filius infans.

Horat. Lib. 1. sat.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

*A*rguet Mundum de peccato, & de justitia. Ioan. 16. A Deo puniente crimina, Magistratui justitiæ exercendæ exemplum datur. Sed calamitosi hæc temporibus plurimi nequam ponuntur nequaquam, quando tantummodo sua scelera deaurant; imo solvuntur, qui solvunt, ac omnis accusativus exultat, ubi datus exultat. vid. 114.

Væ, qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam iusti auferis ab eo. Ma. 5.

Remota justitia quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt? nisi prava Regna? S. P. August. lib. 4. de Civit. c. 4.

Julii.

Index Concionatorius.

Justitiæ merces gemina est, vel cum bona rectis,
Vel parvis dignè cum mala restituit.

Jacob. Bill.

DOMINICA V. POST PASCHA.

S*iquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan. 16.* Petunt multi, neque tamen accipiunt, an igitur Numen sit aliquando inexorabile? ideo subinde irritæ redduntur nostræ preces, quia nocitura petimus, & multoties exaudimur ad votum, sed non ad vitam. Vid. fol. 362, & 366.

Nescitis, quid petatis. Joan. 13.

Non habeatis pro magno, non exaudiri ad voluntatem, habeatis pro magno exaudiri ad utilitatem. S. P. August. Serm. 53. de verb. Dom.

Cum gladios, cum Castra, Saul, cum cerneret hostes,
Attonitus fertur consuluisse Deum.

Cum nullam consulta darent oracula vocera,

Consilium à Stygio perfidus hoste petit.

Huic similis dici possit, quicumque Tonanti,

Vota quidem, patitur dum, mala multa facit,

At nisi quam primum fugiant adversa relicto,

Numine, mox vetitam perditus orat opem.

Jacob. Bill.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

C*um venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis. Ioan. 15.* Sicut S. Spiritus est Spiritus veritatis, ita malus spiritus est spiritus mendax, & mendacis fallit; Huic igitur Apostatæ Angelo in nullo casu & causa fidendum est, quia impostor est, licet Pastorem simulet. Vid. fol. 158.

Ipse enim satanas transfiguratur se in Angelum lucis. Paul. ad Corinth. 2. c. 11.

Diabolus est Angelus per superbiam separatus à Deo, qui in veritate non stetit, factor mendacii, quia ab ipso primum inventum est mendacium. S. P. August. ad Julia. Com.

Magnus te spoliat satanas per parva lura tuque,

Porrigit, ut gemmas detrahat ipse tibi.

Quid gemmas dico? Cælum tibi furrripit ipsum,

Dum tua porrectâ pectora pascit humo.

Umbram offert, spectrumque boni proponit inanis,

Ante oculos, veras ut tibi demat opes.

DOMINICA PENTECOSTES.

P*acem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ioan. 14.* Miseri Mariti quandoque nulla pace fruuntur in propriis ædibus, nota satis est male nata illa X. antippha, quæ in foribus proprii Nominis Crucem præfert, utpote satis onerosam

sama

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
1611
TIT

Index Concinatorius.

Sam Socrati, quem illa Baubantia non raro unguem excepit unguibus, & bac-
bam barbarè evulsi, eundem insuper post mille convitia maleolente lotio lotum
voluit, sed mirum non est, quod tandem post tanta tonitrua pluvia sine letore,
Vid. fol. 96.

Mulieres viris suis subdita sint sicut Domino. Ad Ephes. 5.

Attende, quomodo nolunt intrare in domos suas, qui habent malas uxores,
quomodo exeunt in forum & gaudent capti horam esse, quàm intraturi sunt in do-
mum suam, & contristantur, intraturi enim sunt ad rædia, ad murmura, ad ampe-
ritudines, & eversiones, quia non est domus composita, ubi inter virum & uxo-
rem pax nulla est. S. August. in Psal. 33.

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc omni tygride peior,
Cum simulat gemitus occulti conscia facti.

Juven. 6.

DOMINICA SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Matth. 28.* Ha-
de re nulla extat materia in præsentis opusculo, idcirco benevolam Lectorem
ad primam partem, seu ad *Heim dich* remitto.

Inquirere de Trinitate perverla curiositas est, & credere & tenere, sicut sancta
Ecclesia tenet, fides & securitas est. Videre autem eam sicuti est, perfecta & sum-
ma felicitas est. S. Bernard. in Sep. serm. 7.

Natura omnipotens una est, quæ cuncta creavit,
Et propriè, quod sunt omnibus esse dedit.
Nam quid quid minus est, non est Deus à Patre natum
Verbum, & qui amborum spiritus est, Deus est.
Una eandemque trium, quoniam est Essentia, quæ se,
Nunquam vel major, vel minor esse potest,

Jacob. Bill.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Date & dabitur vobis. *Luc. 6.* Lusum lucratur ille, in cujus manibus habetur
Denari do; miser esse non potest, qui miserorum miseretur; proximus est
Deo, qui proximo subvenit; calamitates æternas non sentiet, qui calamitatis
succurrit, & judicem non timebit, quem debitorem sperat. Vide fol. 1. utique ad
fol. 41.

Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penu-
riam. *Proverb. 28. v. 27.*

O prægrandis elemosynæ virtus! divices sanctificat, pauperes beat, pecca-
tores purificat, justos glorificat, mortuos suscitatur, & immortalitatem mortali-
bus donat. S. Chrysoft. Homil. 1. tom. 7.

Index Concionatorius.

Qui reliquis studeant virtutibus, atque labore,
Membra premant, homines cernere mille licet.
Deficit ac miseros hæc una & maxima virtus,
Qua sine nil alias obtinuisse juvat.
Nam qui pauperie pressis se præbet acerbum,
Cuncta licet teneat, nil tamen ipse tenet.
O quæ stultitia est! Deus erit sanguine servos,
Mercari exiguo nos piget ære Deum.
Jacob. Bill.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit Cenam magnam. *Luc. 14.* Divinam vindictam eamque sibi met accersunt subitam, qui lautissimam & lætissimam hanc lænam indigni accumbunt; sceleratus conviva instar piscis se habet, qui hianti ore bolum deglutit, interim tamen lætet unicus in cæca, & sauciare solet, quod satiare valet. Vid. fol. 337.

Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. *1. Corinth. 11.*

Væ tradentibus Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia sub sacramento sumentibus illum etsi non tradant Judæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipsum membris inimici ad sumendum. Remig. in gloss. super Matth.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Qua Mulier habens drachmas decem: si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam & everit domum, & querit diligenter. *Luc. 15.* Pecunia omnia regit, omnia tegit, omnia movet, omnia fovet, omnia stringit, omnia fingit, omnia rapit, omnia capit, omnia pacat, omnia placat, omnia frangit, omnia pangit, omnia munit, omnia unit, omnia mergit, omnia tergit, omnia macerat, omnia lactat, omnia lavat, omnia pravat, omnia velat, omnia delet &c. Uno verbo. Pecunia est omnipotens. Vid. fol. 80.

Multos perdidit aurum & argentum, & usque ad cor Regum extendit & convertit. *Eccles. 8.*

Hoc malum jam dudum humanis influxit mentibus, ut pecunia honori sit, & animi hominum divitiarum admiratione capiantur. S. Ambros. off. Lib. 2. c. 21.

Aurum cuncta movet, superi fleduntur ab auro,
Gaudet & aurato Jupiter ipse thoro.
Aurum quisquis habet, superos mercatur, & astra,
Captivosque tenet sub ditione Deos.

Manet in

ABRAHAM
de Clara
Iudas
1763
T. 1.

Index Concionatorius.

Tolle aurum, nullæ vitiantur in orbe puellæ,
Tolle aurum, nullus peccat in orbe puer,
Aurum bella gerit, multonibus imperat aurum,
Aurum ventosis vela dat aquoribus.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. *Luc. 5.* Multi diu laborant, id est labiis orant, & nihil capiunt, quia distentis aliis cogitationibus cor eorum longè est à Deo; quid iuvat balbas de mare sonantes depromere voces, cum interim vaga mens procul à mento verferur, & lingua psallat in choro, cor tamen fallat in foro. Non attentè orare, idem est, ac gratis orare, nec fructus habetur à solo sono, si vox & cor non sunt in eodem folio & throno. *Vi. de fol. 353. & 357.*

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Matth. 23.*

Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem audiat, quam ego, qui fundo, non audio, deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi nec illi intendo. *S. Bernard. Lib. de anima. c. 8.*

Cum peccus gratum est, tum sunt quoque muneræ grata,
Visus Abel primo est, postea dona, Deo.
O quam falluntur, sua qui jucunda tonanti,
Vota putant, cum sint pectore nata malo.
Nec bene, nec satis est, quod sint tua vota, precésque,
Ni quoque mens pariter sit sine labe tua.

Jacob. Bill.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Si ergo offers manus tuam ad Altare. *Matth. 5.* Non quantum, sed ex quanto munus prodeat, Deus ponderat, hinc ei non rarè gratiora sunt munuscula quàm munera, & brevès, ac jaculatoriæ oratiuncule sæpius penetrant cœlos, ubi interim longæ & languidæ præforibus excubare coguntur. *V. fol. 6.*

Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est secundùm id, quod non habet. *2. Corinth. 8.*

Qui omnia per verbum condidit, in orationibus etiam humana verba non querit. *S. P. August. Epist. 121. c. 10.*

Si desunt vires, tamen est laudanda voluntas,
Hæc ego contentos, auguror esse Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat Cœlo non minus agna bove.
Ovid. 9. Met.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam. *Marc. 8.* Diluuntur excusationes potissimæ, quæ afferuntur à multis, cum ad dandam eleemosynam & liberitatem exultantur; quia pro festo & fastu expendunt plurima, & funditur Aaronis vitulus ex auro, interim serpens exaltatus, utpote figura Christi in Crucem aëti tantummodo ex aëre formatur. Vid. fol. 37.

Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo?

Ut isti habeant canes currentes, aves volantes, equos spumantes, nudantur Domine mi Jesu in pauperibus latera tua, effunduntur viscera tua? P. Elred. *Ljb. 3. de Nabuch. c. 26.*

Huncne vides, quem tu, quoniam fera vexat egestas,
Despicias, atque Canis barbarus intar habes?
Quod tibi corpus, idem est illi cum mente tributum,
Et quod perpetitur, ut quoque ferre potes,
Exiguum frustum, Deus est, qui postulat abs te,
Namque homo quem cernis, nil nisi larva Dei est.

Jacob. Bill.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Omnis arbor bona bonos fructus facit. *Matth. 7.* Si arbores Genethliacas bene trutinaveris, & in examen adduxeris, reperies actutum, serpè numero venire secus, dum ex optima quandoque stirpe infames trunci prognafcuntur, hinc nemo in longa progenitorum serie & clarissima profapia gloria-ri debet; aliena enim sunt ista opera, sed propria virtute debet esse nobilis. Vid. fol. 73.

Nobilis in portis vir ejus, quando federit cum senatoribus terræ. *Pro. 31.*
Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur servire vitis, & ab eis non superari. S. Chrysoft. in Matth.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo,
Sanguine censerit pictos ostendere vultus.
Majorum, & stantes in curribus Emiliano?
Tota licent veteres exornent undique ceræ,
Atria, nobilitas sola, atque unica virtus.

Juvenal. sat. 8.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 16. Sicut sancta Mamma, cujus sacra lypsana Luca in Italia videntur incorrupta, multis profuit ad salutem. Sicut sanctus Mamans gloriosus Christi Athleta, cujus prodigio-

Manet in

ABRAHAM
S. Clara
Iudas
Iacobus
Iosephus

Index Concinatorius.

fus sanguis adhuc in Ecclesia Lingoniensi asservatur, multis attulit salutem Ita & mammona iniquitatis salvat & solvit peccatores, si in sinum pauperum projiciatur; distributionis enim filia est, locus est opportunus tractandi de sacra elemosynæ usura, cuius mentio sæpius jam facta. Vid. fol. 1.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Venient Dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique. Lucæ. 19. Ad arma! ad arma! hostis est in propinquo, & hic est, ut cum Isaiâ loquar, qui conturbavit terram, qui concussit Regna, qui posuit orbem in desertum & urbes ejus destruxit. Atrocissimus est hic inimicus, & non est potestas, ut ait Job, quæ comparetur ei. Sentiunt hoc omnes miseri mortales maxime in agone & postrema mortis hora, ubi arctiori cingitur obfisione anima ab infernali machinatore, quam præteritis annis Vienna ab infenso Machometano. Vid. fol. 141.

Sta super me, & interfice me, quoniam me tenent angustia. 2. Reg. 19.

Quantus erit tibi pavor, O anima misera, cum dimissis omnibus, quorum tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, tam familiaris habitatio alienam penitus Regionem ingrediens catervarum infinita Dæmonia ad te venire videbis. S. Antonin. p. 1. tit. 7. c. 2.

Animula vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis loco?

Palanth. Ver. Mor.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Duo homines ascendebant in templum ut orarent. Luc. 18. Occasio hic est differendi, quomodo flagitiosi aliqui in templis & sacrisa dibus se gerant; imò affirmari potest, quod irreverentia templi genitrix sit omnium calamitatum: quibus hisce temporibus obruimur. Vide de hac. fol. 385.

In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. Isa. 26. plura jam aliàs dicta de hoc.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

Solum est vinculum lingue ejus, & loquebatur rectè. Marc. 7. Tractari hic potest de oratione vocali præcipuè de sanctissimo Rosario Mariano, nemo enim rectius, quam qui cum Angelo salutant Deiparam, loquitur, habetur enim Dæmonis e AVE, acquiritur cælitum f AVE, deletur peccatorum p AVE, lenitur tribulorum gr AVE per Angelicum AVE. Maledicta terra, spinas & tribulos germinabit tibi, dixit olim Dominus. Benedicta terra, rosas & cotoneas germinabit, dicit tunc Dominus. Vide fol. 350. & 370.

sicut

Sicut turris David Collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cant. 4.

Vastitas imminet orbi miseranda, cui solum, quod orbem reparavit olim, etiam nunc mederi potest. Psalterium Angelicum. P. Alan. de Laud. psal. c. 8.

Fulgmina si metuas Nati, venerate Parentem,

Oppositu Matris flumina nulla cadent.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Sacerdos quidam descendens eadem via visio illo, præterivit. Luc. 10. Saucium hunc hominem in via deseruit tam Sacerdos quam Levita, mirum igitur non est, quod Ecclesiastici tam multos inveniunt obtrectatores, hinc deberet eorum vita esse intergra ac inculpata, Vid. fol. 328.

Quæ dicunt vobis servate & facite. & secundum opera eorum nolite facere. Matth. 23.

Nullum ab aliis præjudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. S. Hieron. in hom. 14.

Casti placent superis, purâ cum veste venite,

Et manibus puris sumite fontis aquam.

Tibull. 2.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè. Luc. 17. Redè nimirum dixit David: multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Accelerant enim omnes angustiati ad Deum, calamitas enim virtutis occasio est, sicut Pest & Qsen binæ civitates non procul distant ad invicem, ita plerumque tempore pestis sunt preces hominum calidiores. Vid. f. 366.

Domini recordatus est, & clamavit. Joan. 7. 8.

Cum quadam die pressus stomachi dolore repente astuarem, pene moriturus, vidisti Deus meus, quoniam Custos meus jam eras, quo motu animi & qua fide baptisma Christi tui, Dei & Domini mei flagitavi. S. P. August. 1. Confess. c. 17.

Quis bona, quod vobis, quod Morbus commoda secum

Afferat adveniens commemorare queat?

Faustus abit, cadit ambitio, fugit ardor habendi,

Cum ludis fugiunt turpia verba procul.

Angitur ob noxas mens irrequieta priores,

Nec liber secleri cursus ut ante datur, &c.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

De vestimento quid solliciti estis? Matth. 6. Reprchendi hic potest nimius vestium luxus, & immoderatus fastus indumentorum; credite mihi in

Manet in

ABRAHAM
as Clara
Iudas
Iacob
Ioseph

Index Concionatorius.

penam peccati est, quod Gallicus furor vestros agros depascat, quia Denimnia gallicorum vestimentorum novitate fumarum instar ad justam iracundiam. Vid. 38.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris sue. *Luc. 7.* Quando vrez & Germanæ, non autem Hæbraica viduæ sunt, vidua enim Hæbraicè dicitur Almanach, quod quasi idem sonat, ac allem Mannady / quando inquam veræ inopes, ac desolata viduæ sunt, penes quas tota ac tanta quandoque calamitatum theatra, invenire est, ut non solum viro, sed etiam viribus careant. his omni conatu opitulandum est, cum hoc tam rigidè præcipitur in triginta tribus locis sacræ Paginæ. Væ autem illis, qui eas ut pupillam oculi divini Numinis offendunt. Vid. fol. 107.

Viduæ & pupillo non nocebitur, si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ago audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.

Continuos annos à funere conjugis uxor

Sustinet, in vidua tristitia signa domo.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. *Luc. 14.* Hydropicus homo intercutere aquâ, imaginem avari præfert, de quo pariter affirmari potest quo plus sunt potæ, plus siciuntur aquæ. Talpam aut salpam dixeris talcm Eculionem, talpa enim est, quia semper terrenis inhiat, salpa est, quia capite & ratione caret, nam stolidus homo jam in hoc mundo infernum incohat, meretur revera nomen stulti cum sequi pedali titulo. Vid. fol. 189.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, ubi fures effodiunt, & furantur, *Matth. c. 6.*

Avarus est cæcus, credendo enim dives est, non videndo. Amas pecuniam ô cæce, quam nunquam videbis, cæcus possides; cæcus moriturus es, quod possides, hic relicturus es. *S. P. Aug. lib. de doctrina Christiana.*

Non uxor saluum te vult, non, filius, omnes

Vicini oderunt, noti pueri atque puella.

Miraris? cum tu argento post omnia ponas,

Si nemo præstet, quem non merearis amorem?

Horat. ser. lib. 1. Saty.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Inrogavit eum unus ex eis legis Doctor. *Matth. 22.* Occasio hic est discendi de doctis ac eruditis viris promovendis. Aureum enim caput non plumbeum fuit statua Nabuchodonosoris; nil magis nocivum est in Republica aut quavis alia Communitate, quam promotio indigni; nec enim Angeli

gelis sapuit convivium Lothi sine sale, hinc ad dignitates ac honores sunt eve-
hendi, qui sunt ex schola Sarbonensi, & non Narrbonensi. Ast pecunia tam
potens est, ut multoties ignorans Nebulo, sicut nebula in altum ascendat, ut
clarecat. Vid. fol. 78.

Doctrinam magis quam aurum eligit. Prov. 8.

Pessimæ ignorantie Matris pessima iidem dua filiae sunt, scilicet falsitas
& dubietas, illa inferior, ista mirabilior, illa perniciosior, ista molestior,
Pal. v. Ign.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Math. c. 9.* In morborum
pccnis Beneficia Dei continentur, quia per eas surgimus ad Deum. Nam
& Arca Noë crescentibus undis viciniior facta est caelo, hinc potest dici, quod
muli supra scopas ad astra vehantur, cum *li scopæ* germanicè idem sonet, quam
malum. Vid. fol. 342.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Simile factum est Regnum Caelorum homini Regi *Math. 22.* Reges ac Princi-
pes bono debent præluere Exemplo. Vita enim Principis censura est, ad
hanc dirigimur, ad hanc convertimur. Vid. 47.

Si delectamini in sedibus & sceptris, o Reges populi, diligite sapien-
tiam. *sap. 6.*

Reges à rectè agendo vocati sunt, ideoque rectè faciendo Regis nomen
teneatur, peccando amittitur, rectè ergo illi Reges vocantur, qui tam in semet-
ipfos quam in subditos bene regendo modificare noverunt. *S. Ili. de summ.*
bon. lib. 3.

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Tu Medus, te mollis Arabs, te Seres adorant;
Si metuis, si prava cupis, si ducis ita:
Servitii patière jugum, tolerabis iniquas,
Interius leges; tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris Rex esse tui. *Claudian ad Theodos.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Credidit ipse & domus ejus tota. *Ioan. 4.* De bono exemplo omnium: ut fuses.
Vid. fol. 47.

Magnates enim ut Magnetes trahunt.

DOMINICA XXI. POST PENTEGOSTEN.

Patientiam habe in me *Math. 18.* A Medico non sanantur nisi patientes.

A Deo non sanctificantur nisi patientes, & in schola Christi non acquirit
præmium, qui non passivè facit argumentum. Qui cupit fieri augustus, ne-
cessè

Manet in

ABRAHAM
s Clara
Iudas
I. II. III.
I. II. III.

Index Concionatorius.

nece est, ut prius sit angustus; & quid titubas O Christiane, oportet pati, & via
per Christum eligimus tristia pati, necesse est omnino & aliter ipsa sustinere.
Vid. fol. 404.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21.

Universum vitæ nostræ tempus quædam est vigilia solemnitatũ æternæ,
Vigilia utiq; non est tempus deliciarum, sed fletus. S. Laur. Just. in lign. Vit. l. 7.

Ut Corpus redimas, ferrum patiaris & ignes,

Arida nec sitiens ora lavabis aquâ:

Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?

At pretium pars hæc corpore majus habet.

Leniter est meritò, quod patiare, ferendum est:

Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Quid me tentatis hypocryta? Matth. 22. Non est tentandus Deus per sortilegia, prout solent curiosa faminæ futura indagare, ubi ut plurimum Diaboli verfatia intercedit, & per anilia vaticinia incautas puellas in mille laqueos trahit. Vid. fol. 276.

Visionem mendacem, & divinationem fraudulentam & seductionem cordis sui prophetant vobis. Jer. 14.

Videsac quantum malum importet auguratio? qui huic incumbit, studiumque adhibet, Dei providentia ac sollicitudine destituitur. S. Basil. in c. 2. lla.

Plures triobolos, paucos est cernere vates.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

ET accessit retro, & tetigit simbriam vestimenti ejus. Matth. 9. Hujus hæmorrhoiis exemplo discimus, quanta vis insit rebus benedictis, &c. Vid. f. 170.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Surgunt enim Pseudo-Christi & Pseudoprophetae. Matth. 24. Soli Deo futura sunt præsentia, & de longe oculi ejus prospiciunt, ipse enim novit solus abscondita, antequam eveniant; spiritu quoque divino afflati sunt multi electi ejus, vanæ sunt omnes aliæ Prophetiæ. Vid. fol. 270.

